

redemptionis CHRISTI, aut de alio est sermo. Hoc posterius non video quod sit, aut quo fundamento cogitari possit, et ideo facile negatur. Si vero de priori opere consequens illud intelligitur, profecto non esset magnum inconueniens sequelam admittere, quia non propterea CHRISTUS gratis mortuus esset, quandoquidem opus redemptionis ejus supponitur esse quod tunc justificabat, saltem meritorie. Nunquam tamen proprie dicitur circumcisio justificasse quocumque modo, quia non erat causa justitiæ, sed tantum signum necessarium ad profitendam fidem, sine qua professione gratia non fuisset data parvulo, sub qua ratione recte dici potest conditio sine qua non, quia illa non est causa, ut constat. Nam etiam ipsa fides parentum erat conditio necessaria, et sine qua non, et tamen neque de illa dici potest quod gratiam daret infanti ex opere operato, nec quod gratiam contineret; imo nec causa justificans parvulum proprie dici potest, nisi vel late, aut improprio modo, sicut dicitur de quolibet remedio, vel conditione sine qua non, vel quatenus fortasse habere poterat aliquod meritum de congruo, vel impetrationem, quod pertinet magis ad opus operantis, de quo superest dicendum.

8. *Secunda objectio.* — *De opere operantis.* — *Justificatio ex opere operantis duplex.* — Alia objectio est contra alteram partem de justificatione ex opere operantis: nam hæc etiam duplex est, scilicet, prima et secunda seu augmentum primæ; utraque autem obtineri potuit in illa lege ex opere operantis per opera ejusdem legis; ergo lex ipsa erat causa utriusque justificationis, quia erat causa operum per quæ illa fiebat; ergo absolute dicenda est justificasse ex opere operantis. Minor quoad priorem partem de prima justificatione probatur, quia in illa lege comparabatur prima justitia, media dispositione operantis, per actus Fidei, Spei et Charitatis, ac contritionis, ut est de fide certum, ex Ezechiel 18 et 33, et ex doctrina Concilii Tridentini, sessione 14, cap. 4; supra autem ostensum est legem illam præcepisse hos actus pœnitentiæ et virtutum theologalium: ergo præcipiebat actus quibus homines justificabantur ex opere operantis dispositive, et de congruo, licet non de condigno; ergo justificabat per opera sua; non enim videtur lex aliqua posse meliori modo per actus suos justificare. Altera vero pars de secunda justificatione probatur, quia opera bona quibus homines justi serva-

bant illam legem, erant meritoria de condigno augmenti gratiæ, juxta doctrinam communem, certam, et definitam in Concilio Tridentino, sessione sexta, cap. decimo, quæ non est limitata ad statum legis gratiæ, sed generalis est ad omnia tempora, ut probant etiam spirituales promissiones capite præcedenti adductæ.

9. *Responsio quorundam.* — Circa priorem partem, aliqui theologi negant, actus Fidei, Spei et Charitatis fuisse præceptos in illa lege, ducti potissimum ratione facta, quia alias homo justificaretur ex operibus illius legis. Quam opinionem indicat Medin. 1. 2, quæstion. 99, art. 5, ubi non simpliciter loquitur, sed cum addito ait, quod *præcepta fidei non pertinent præcipue ad legem Mosaicam, sed ad legem Evangelicam*, ubi particula, *præcipue* reddit obscuram sententiam: nam ex vi illius potius videtur affirmari præcepta illa etiam pertinuisse ad legem Mosaicam, licet principalius spectent ad Evangelicam. In hoc autem sensu idem dicere poterat de omnibus præceptis moralibus, quæ perfectiori modo traduntur et explicantur in lege Evangelica; intendit autem Medina differentiam constituere inter utraque præcepta, et ideo videtur potius excludere præcepta theologalium actuum a lege Moysi; inde enim infert non contineri sub moralibus, aut cæremonialibus præceptis. Et magis declarat in ratione quam adjungit, quia Paulus distinguit legem a fide ad Roman. 4, et ad Galat. 3; loquitur autem de fide viva; ergo præcepta hujus fidei distincta sunt a præceptis legis. Et confirmari potest, quia alias præcepta moralia illius legis justificarent, quod repugnat Paulo, ut supra ex D. Thoma et Augustino explicatum est: sequela autem patet, quia si præcepta fidei dabantur in lege veteri, sub moralibus præceptis continebantur: ergo si sub illis præceptis continetur fides, per charitatem operans, negari non potest quin illa præcepta justificarent. Dicendum ergo est hæc præcepta non contineri in illa lege, sed esse supra illam, vel ab illa supponi.

10. *Vera sententia.* — Nihilominus verissimam esse censeo sententiam quam cap. 3 proposui, nimirum, legem illam præcepisse actus pœnitentiæ et theologalium virtutum, quæ videtur expressa D. Augustini in lib. de Gratia et Liber. arbitr., cap. 18, ubi ait præcepta charitatis esse in lege veteri et nova, spiritum autem gratiæ, ad illa implenda, in veteri fuisse tantum promissum, in nova ve-

ro datum. Est etiam D. Thomæ, quæst. 100, art. 2, ubi docet præcepta moralia veteris legis data esse de actibus omnium virtutum, per quæ homines bene ordinantur ad communicationem cum Deo, et loquitur de communicatione quæ constituit amicitiam inter hominem ac Deum, ut quæst. 99, art. 2, explicuerat: ergo sub illis virtutibus includit etiam theologicas. Quod in secundo loco evidentius declarat, dicens impossibile esse hominem fieri amicum Dei, nisi efficiatur bonus, et adduxit illud Levit. 19: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*: loquitur ergo de bonitate, quæ hominem facit sanctum, quæ non est sine Fide, Spe et Charitate; ergo lex illa præcipiebat etiam actus harum virtutum; et ita in quæst. 100, art. 3, ad 1, declarat quomodo præcepta dilectionis Dei et proximi in Decalogo contenta fuerint. Atque eandem sententiam habet q. 107, art. 1, ad 2, in fine, cujus verba infra referam. Eandem sententiam videtur supponere Cajetanus, q. 100, art. 1. Deinde potest hoc inductione ostendi, ex Scriptura: nam præcepta charitatis Dei et proximi expresse habentur Deut. 6, et Levit. 19, ut explicuit Christus, Matth. 22, et significavit Paul. ad Rom., 13, dicens in præcepto dilectionis esse radicata cætera mandata. Item fidei præceptum non aliter ponitur quam sufficienter proponendo res credendas: sic autem proposita fuit illi populo fides unius Dei, Exod. 20: *Ego sum Dominus Deus tuus*, per quæ verba intellexit Hieronymus datum esse præceptum fidei; et Deuteron. 6: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est*. Et similiter proponitur fides unius mediatoris, Deuteron., decimo octavo: *Propheta de gente tua*, etc., et simili modo præceptum spei in actu exercito (ut sic dicam) ponitur per divinas promissiones sufficienter propositas, quod in illa lege frequenter fiebat. Nec refert quod essent promissiones temporales, quia ut erant divinæ, pertinebant ad superiorem ordinem, ut attigit D. Thomas quæstione nonagesima nona, articulo sexto ad 2, et ideo sicut per fidem divinam credenda erant, ita per spem infusam speranda, ut evidenter docet Paul. ad Hebræos, decimo et undecimo. Denique de pœnitentia erat expressum præceptum in illa lege, ut supra probatum est ex Levit. 16.

11. *Responsio.* — *Impugnatur.* — *Primo.* — *Secundo.* — *Confirmatur.* — Responderi autem potest, his testimoniis solum probari cum lege Moysi simul habuisse illum popu-

lum præcepta Fidei, Spei et Charitatis, inde tamen non sequi hæc præcepta fuisse præcepta ipsius legis: nam sunt antiquiora, et ita fuerunt in illo populo a Patribus recepta, sicut supra de promissionibus dicebamus. Sed hoc imprimis repugnat verbis Christi, Matth. 22, ubi cuidam interroganti: *Quod est mandatum magnum in lege?* respondit, *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., *hoc est maximum*, etc.; ergo intellexit Christus hoc fuisse mandatum legis, alias non recte interroganti respondisset. Unde Matth. 19, alteri interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, utique legis: nam interrogans non alia cognoscebat, et ita CHRISTUS statim numeravit præcepta moralia, usque ad illud, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, in quo includitur præceptum dilectionis Dei, ut explicuit D. Thomas, dicta q. 99, art. 1, ad 2. Præterea, præceptum dilectionis Dei tam expresse et formaliter proponitur in ipsamet lege, Deuter. 6, sicut cætera, vel præceptum de dilectione proximi, quod dicitur esse secundum post illud; cur ergo negabitur intrinsece pertinere ad ipsam legem? Nam in hoc jam cernitur clara differentia inter hæc præcepta spiritualia, ut sic dicam, et promissiones spirituales quæ in lege non fiunt; et ratio sufficiens, cur tale præceptum excludatur a lege, dari non potest. Nam quod illa præcepta fuerint antiquiora in lege naturæ, nihil refert; tum quia etiam circumcisio erat antiquior, et nihilominus fuit incorporata, ut sic dicam, in illa lege; tum quia omnia præcepta Decalogi fuerunt etiam antiquiora illa lege, et nihilominus fuerunt in illa renovata, et ideo ad illam intrinsece pertinuerunt; cur ergo non dicetur idem de præceptis theologalibus? Unde sumitur etiam efficax ratio: nam ideo præcepta mere naturalia in illa lege iterum data sunt, quia humana ratio erat peccatis obscurata, et indigebat nova instructione, et inductione per legem positivam; sed non minus erat obscurata ratio circa præcepta theologalia, nec minus indigebat nova instructione; ergo non est verisimile data esse præcepta circa actus acquisitos, et non circa infusos necessarios ad salutem. Et hoc etiam confirmat, quod Paulus illam legem vocat sanctam et spiritualem; ergo intelligit illam præcepisse actus veræ sanctitatis, et maxime spirituales, quales sunt actus theologici. Item illa lex data est propter felicitatem æternam; ergo etiam propter veram sanctitatem; ergo

data est etiam de actibus quibus homo disponitur ad veram sanctitatem; alias etiam, in ratione legis, non esset adæquata suo finî, nec sufficienter data.

12. *Legem illam non justificasse.* — Neque vero ex hac assertionem sequitur legem justificasse, vel homines eo tempore potuisse ex operibus legis justificari. Probatur hoc, quia non minus verum est legem naturalem non habuisse virtutem justificandi, quam legem Moysi, ut ex Augustino et divo Thoma sæpe diximus, et est constans apud theologos; sed lex naturalis, ut in ea poterant homines salvari, includebat intrinsece et principaliter præcepta Fidei, Spei, Charitatis et Pœnitentiæ, quia hæc media semper fuerunt ad salutem necessaria, et consequenter semper etiam fuerunt præcepta lege divina; ergo intrinsece pertinerunt ad statum legis naturalis, prout erat lex in sua ratione sufficienter præcipiens in ordine ad vitam æternam. Et ideo dixit divus Thomas hic, quæstione centesima, articulo tertio, legem Decalogi, quæ est lex naturalis, non tantum complecti ea quæ ex principiis primis cognosci possunt, sed etiam illa quæ ex fide divinitus infusa statim innotescunt: ergo quod lex illa præciperet actus fidei vivæ, non sufficit ut dicatur justificare, neque ut homo diceretur justificari ex operibus naturalis legis, alias gratis CHRISTUS mortuus esset: ergo neque id sequitur in lege veteri, etiamsi illa præciperet eosdem actus.

13. *Declaratur doctrina tradita.* — Secundo, declaratur idem ex doctrina D. Thomæ, quæstione centesima sexta, articulo septimo, ubi hanc quæstionem tractans de lege Evangelica, in ea distinguit duo, scilicet, gratiam Spiritus sancti, et documenta fidei et præcepta ordinantia affectum humanum et humanos actus. Et deinde negat legem etiam Evangelicam justificare, posteriori ratione spectata, et in illam convenire ait illud Pauli, *Littera occidit*, ex Augustino, de Spirit. et litter., cap. 4 et 17, qui idem sentit libro de Gratia et liber. arb., c. 11; et Hieron., dialog. 3 contra Pelag., in eodem fere sensu locum illum attingit. Negari autem non potest quin sub documentis et præceptis legis novæ, quibus ordinatur affectus humanus, comprehendantur præcepta Fidei et Charitatis, imo etiam consilia quæ ad perfectionem charitatis ordinantur. Atque ita concludit legem Evangelicam solum justificare ratione gratiæ quam confert. Ergo, licet præciperet et doceret omnia quæ nunc docet ac præcipit, si non daret spiritum gratiæ, non

justificaret; ergo, ut lex dicatur justificare, non satis est quod præcipiat actus per quos potest comparari justificatio, si non dat vires ad illos eliciendos, nec gratiam sanctificantem: ergo quamvis lex vetus præciperet illos actus, nisi aliunde ostendatur dedisse spiritum gratiæ (quod ostendi non potest, cum sit plane falsum, et doctrinæ Apostoli repugnans), inferri non potest præcepta de talibus actibus justificasse. Neque obstat quod Paulus distinxerit legem a fide: nam per fidem intelligit spiritum fidei, per charitatem operantis. Nam, quia hoc est præcipuum in lege Evangelica, ideo inde denominatur: nomen autem legis, veteri accomodat, quia erat pura lex. Unde potius hoc confirmat, quod dicimus: nam præceptum fidei non est fides, et ideo licet fides suo modo justificet, non sequitur præceptum ejus justificare: nam præceptum illud, per se spectatum, sine spiritu fidei nihil prodesset.

14. *Sensus quæstionis elicitur.* — *Lex illa non dabat vires ad efficiendos actus qui ad justitiam disponunt.* — Ex his ergo colligitur sensus in quo dicitur lex vetus non justificare, et quæ sit propria ratio ob quam etiam ex opere operantis non potuerit justificare a peccato. Sensus enim est legem illam non dedisse vires ad efficiendos actus qui ad justitiam et peccati remissionem obtinendam disponunt, etiamsi illos præciperet, unde divus Thomas, in dicta solution., ad 2, sic inquit: *Lex vetus, licet præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris.* Et ita respondetur facile ad priorem partem objectionis, negando consequentiam, et ultimam probationem ejus, quia lex non justificat præcipiendo, sed juvando, ut ex frequenti Augustini doctrina constat. Dices: quomodo poterat lex supernaturales actus præcipere, si vires ad illos efficiendos non præstabat? alias videretur impossibilia præcipere. Respondetur non defuisse illis hominibus, quibus lex illa dabatur, auxilia gratiæ necessaria ad illos actus præstandos, quod recte probat objectio facta; illa vero auxilia non fuisse ex vi legis, neque ex vi alicujus principii pertinentis ad illum statum obtineri potuisse. Mendicabantur enim (ut sic dicam) ex lege gratiæ, et auctoris ejus: nam per merita Christi venturi, et in fide, et propter fidem ejus conferebantur, ut latius infra, tractando de lege gratiæ, explicabimus. Addi etiam potest illa opera facta ab homine lapsa, et in statu pec-

cati existente, nunquam per se valuisse ad justificandum seu sanctificandum peccatorem, neque ad remissionem peccati præstandam sine speciali gratia Dei, quæ gratia nec dabatur, nec promittebatur ex vi legis veteris, et ob hanc etiam causam lex illa non justificabat quoad primam justificationem.

15. *Solvitur altera pars objectionis, justos illius temporis mereri potuisse de condigno augmentum justitiæ, et coronam gloriæ.* — *Virtutem merendi dare non potuit lex vetus.* — Unde ad alteram partem objectionis fatemur, justos illius temporis potuisse de condigno mereri augmentum justitiæ, et coronam gloriæ, ut aperte constat ex testimoniis Scripturæ capite præcedenti allegatis, et præsertim ex Paulo, ad Hebr. 10 et 11, et ex doctrina Concilii Trid. supra allegata. Et ex eisdem principiis, est æque certum justos servantes legem, sive moralem, sive ceremonialem, sive judicialem, per bonos actus morales factos ex fide per charitatem operante, per eosdem actus meruisse de condigno augmentum justitiæ et æterni præmii, quod est æque certum; tum quia gratia in omni tempore et statu fuit semen vitæ æternæ, et fons aquæ in illam salientis; tum quia promissiones vitæ æternæ, ut mercedis, in omni et pro omni tempore fuerunt, ut supra visum est, tum etiam ex aliis principiis positis. Nihilominus tamen verum etiam est legem illam non dedisse augmentum justitiæ, quia virtutem merendi dare non potuit. Omne enim meritum et augmentum gratiæ et vitæ æternæ fundatur in gratia ipsa, et requirit auxilium ejus et promissionem divinam; nihil autem horum fuit ex vi illius legis, ut satis ostensum ac declaratum est. Et ideo nec meritum ipsum nec effectus ejus potest illi legi attribui, quia nec fuit principium ejus, nec ad illud juvabat, sed solum illuminabat et instruebat, et ideo frequenter in Scriptura vocatur lex illa lucerna et sapientia illius populi, quia solum docebat et non juvabat. Unde, in ordine ad meritum et augmentum justitiæ, nullam specialem prærogativam habuit ille populus, præter illam, *Quod credita sunt eis eloquia Dei*, ad Roman. 3, et ita de utraque justificatione verum est illud Pauli ad Galat. 3: *In lege nemo justificatur apud Deum*, utique ex vi illius, sed *justus ex fide vivit*.

15. *Quod de merito dictum est, de impetratione et satisfactione dicendum.* — Et quod dictum est de primo merito, dicendum est de impetratione et satisfactione justorum, non

solum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis propriis jam remissis, sed etiam pro aliis, vel viventibus, vel etiam mortuis. Nam quod sub illa lege justis possent hoc modo satisfacere apud Deum, manifestum est ex illo 2 Machab., 11: *Sancta et salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Item ex illo Psalm. 50: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*, cum similibus. Et rationes factæ idem probant. Quod autem ille etiam effectus non fuerit ex vi legis, sed ex fide et meritis Christi, ex eisdem locis Pauli constat, et eodem modo explicandum est, ut per se satis constat.

## CAPUT VIII.

AN LEX VETUS PERFECTA, VEL IMPERFECTA  
CENSENDA SIT.

1. *Ratio dubitandi de perfectione legis veteris.* — Ratio dubitandi esse potest, quia ostensum est legem illam fuisse principaliter et immediate a Deo: opera autem Dei perfecta sunt; ergo et lex illa. Item lex illa fuit perfecta ex fine, quia ad optimum finem, tam ultimum quam proximum, ordinata est; atque etiam in mediis optime ordinata fuit, tum quia quæ a Deo sunt, ordinata sunt; tum etiam quia ostensum est præcepisse omnia quæ suo fini erant accommodata, et tunc præcipi expediebat; atque ita etiam ex parte materiæ ac mediorum perfecta fuit; ergo simpliciter perfecta fuit. Denique de Deo scriptum est, Job, trigesimo sexto cap.: *Non esse ei similem in legislatoribus*, quia lex ab illo lata non solum a summa bonitate, sed etiam a summa patientia et prudentia proficiscitur; ergo non potest non esse perfecta; sed lex vetus est a Deo ut legislatore: ergo. In contrarium vero imprimis est dictum Pauli ad Hebr. 7: *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus et imbecillitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*: at infirmitas, et imbecillitas sunt magnæ imperfectiones; et causa etiam quæ nihil perfectum producit, profecto imperfecta est. Deinde perfectum est, cui nihil deest: at illi legi multa pertinentia ad perfectionem deficiebant, nempe virtus justificandi, spiritus adjvans infirmitatem nostram, perfectio sacramentorum et sacrificiorum, et consilia perfectionis: ergo fuit simpliciter imperfecta. Denique si perfecta fuisset, permansisset; non permansit autem: